

superstitiosa. Paulus in gratiam fratris infirmi vult abstinere: papistæ non sunt fratres infirmi: sed pertinaces idololatræ. Paulus non vult dare scandalum edendo carnes licitas: Nicodemitæ non volunt scandalum dare audiendo missas idololatricas: hoc est, volunt facere malum, ut eveniat bonum, at contra regulam apostoli. Pari ratione Judæorum superstitio defendi posset, abstinendum esse à suillis, leporinis, aliisque cibis lege prohibitis, ne Judæi scandalizentur. Atqui non sunt facienda mala ut eveniant bona. Mala verò effret talis in Judæorum gratiam abstinencia, tum quia sic in sua cæcitate ipsi confirmarentur, tum quia Christus abnegaretur. Christi enim adventu legalia omnia cessare debuerunt: quia finis legis est Christus. Aut igitur discrimen ciborum, circumcisio & legalia alia faceffere nunc debent, aut Christus negandus est, & Moses in ecclesiam reducendus. De ciborum verò delectu,

**A** utrum Christianis sit indifferens, an verò necessarius & cultus Dei, dubiū III. capituli 14. ad Roman. videatur. Non itaque hoc vult apostolus, connivendum esse ad abusus manifestos, ne superstitiosos offendamus: multò minus, communicandū esse idololatrarum sacris, ne offensionem eorum aut odium incurramus. Neque enim offensio hominum peccato nostro cavenda est: imò *offensio* hinc non superstitiosorum indignationem, & in superstitione per nostrum peccatum confirmationem, sed infirmorum conscientia per abusum licitæ rei læsionem apostolo significat. Hoc solum igitur vult, in rebus suo genere licitis, non quid jus nostrum nobis permittat, sed quid charitas requirat, quidque ædificet, videndum, potius quæ illis abstinendum, quàm usu earum infirmis scandalum ponendum esse.



## CAPITIS IX.

### Argumentum, partitio, analysis.

**P**raeter scientiam duo alia Corinthios ad scandalosum idolothytorum esum incitabant, libertas & gula: quibus malis hoc capite etiam mederi conatur apostolus, idq. suo exemplo, quod modò eis proposuerat. Libertatis prætectū minuit suo exemplo à minori: Ego apostolus aequè liber atque vos, abstinui à salario mihi licito & debito scandali causa, ne vos alienarem ab evangelio: Quanto magis vos salva libertate ab idolothytorum esu minus licito abstinere debetis scandali causa, ne fratres infirmos perdati. A vitio gula, quam epulas gentilium sectando explebant, abstrahit eos hortatione ad spirituale certamen pro assequendo cælesti brabeo, suam illis continentiam & sobrietatem iterum in exemplum proponens. Sic totius capituli argumentum entymemate uno continetur: Ego salva libertate mea non solum abstineo à licitis, sed & omnium me accommo infirmitatibus: & me ipsum continentia macero, ne obicem ponam evangelio vel alienæ vel meæ ipsius salutis. Quid ni & vos idem facietis?

Membra capituli constituo quatuor.

li